


«INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De Archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (58)

4.15. DE REBUS AEDIFICATORIIS TEMPORIS ARCHIABBATIS NORBERTI WEBER

4.15.1. De ecclesia abbatiali (1)

Ipsam aedificium ecclesiae abbatialis iam anno 1899^o confectum erat et etiam unam alteramve instructionem internam, sed provisoriā iam acceperat.¹ Tamen ecclesia illo tempore consecrari nondum potuit,² cum ei altare maius immobile lapideumque adhuc deesset.³



Praedispositio altaris maioris eiusque baldachini.


Illud autem altare maius iam inde ex mense Maio a. 1899ⁱ ab Iohanne [Hans] Schurr architecto praedisponeretur, qui quōque ecclesiae aedificium composuerat. Tamen altare maius ex causis pecuniariis denique nonnullis annis post

1 Cfr Vol. 1, cap. 2.6.1.1.; cap. 2.6.1.2.

2 Ecclesia die 12^o m. Mart. a. 1899^o a Priore P.re Ludgero Leonard benedicta erat.

3 Cfr CIC (1917) can. 1197 § 2: In ecclesia consecrata unum altare, praesertim maius, debet esse immobile; in ecclesia autem benedicta omnia altaria possunt esse mobilia.
CIC (1917) can. 1198 § 1: Tum mensa altaris immobilis tum petra sacra ex unica constet lapide naturali, integro et non friabili.
CIC (1917) can. 1165 § 5: Altare consecrari potest etiam sine ecclesiae consecratione, sed una simul cum ecclesia debet saltem altare maius consecrari aut altare secundarium, si maius iam sit consecratum.

confici potuit.⁴ Praecogitatum erat altare maius ut altare ciborii,⁵ quod dicitur, id est supra ipsam altaris mensam positum esse baldachinum artificiose formatum.⁶



Iohannis Schurr delineatio mensae altaris.

Praesertim primo necessarium erat, ut ipsum altare errigeretur. Etiam idem secundum Iohannis Schurr praedispositionem anni 1902ⁱ factum est. Mensibus Maio atque Iunio anni 1903ⁱ illud altare tunc erigebatur, quod ab Aloisio Miller sculptore confectum erat.⁷ Totum autem altare constat ex vario marmore multicolori. Supra plures gradus mensa altaris constituta est, cuius stipes marmoreis tabulis griseis circumdati sunt. Margo anterior tabulae altaris sustentatur

4 Delineationes exhibitae anni 1899ⁱ tamen non definitive sic exarabantur.

5 Altaribus ciborii est longa traditio, quae iam inde ex antiquitate provenit. - *Cfr* ex.gr. Joseph BRAUN: *Der christliche Altar in seiner geschichtlichen Entwicklung*. 2: *Die Ausstattung des Altars*. München 1924, pp. 262 sqq.; Hans KOEPF / Günther BINDING: *Bildwörterbuch der Architektur*. Stuttgart ⁴2005, pp. 516 sq.; Günter BANDMANN: s.v. Baldachin, Ciborium. *In*: Engelbert KIRSCHBAUM (ed.): *Lexikon der christlichen Ikonographie* (LCI) (2015) 1, coll. 239 sqq.; Joseph BRAUN / Otto SCHMITT: s.v. Baldachin. *In*: *Reallexikon zur deutschen Kunstgeschichte* (RDK) 1 (1937), coll. 1389 sqq.; Joseph BRAUN: s.v. Altarbaldachin. *In*: RDK 1 (1937), coll. 465 sqq.; O. TREITINGER: s.v. Baldachin. *In*: *Reallexikon für Antike und Christentum* (RAC) 1 (1950), coll. 1150 sqq.; Markus GROSS: s.v. Baldachin. *In*: LThK 1 (1993), col. 1365.

6 De ciborii altari ecclesiae abbatialis Ottiliensis *cfr* imprimis Maria HILDEBRANDT: *Lebendige Steine*. St. Ottilien 2008, pp. 214 sqq.; Franz Bernhard WEISSHAAR: *Das Altarziborium und der Titel der Abteikirche von St. Ottilien*. *In*: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), pp. 210 sqq. - Breviter etiam «Der neue Hochaltar von St. Ottilien». *In*: Mbl 9 1904/05, pp. 110 sq.; *Baugeschichte* (s.a.), p. 12 (ASO, A.14.4.1); Leander BOPP: *St. Ottilien - 50 Jahre Abtei* (1952), p. 29 (ASO, D II); Frumentius RENNER: *Herz-Jesu Kirche* (s.a.), p. 47 (ASO, A. 14.4.1.11); Heide WEISSHAAR-KIEHM: *Klosterkirche zum Heiligsten Herzen Jesu*. St. Ottilien 2009, p. 12; Heide WEISSHAAR-KIEHM: *Die Klosterkirche der Erzabtei St. Ottilien*. *In*: Claudius BALS / Walter SEDLMEIER (edd.): *Die Klosterkirche der Erzabtei St. Ottilien*. Herz-Jesu-Kirche der Missionsbenediktiner. St. Ottilien 1994, p. 26.

7 Aloisius Miller variis in inceptis cum Iohanne Schurr cooperabatur.

columnis antepositis, quae e maculoso marmore rubro factae sunt.⁸ In ipso altari constitutum est tabernaculum, cuius fores metallinae gemmis ornatae in opificinā Ottiliensi exortae sunt.⁹

In initio architectus existimaverat altare ponendum esse inter orientale chori iugum primum et secundum, sed in altari constituendo apparuit illum locum non esse ita aptum, cum tunc magna pars monachorum altare non bene conspiciere posset. Itaque eius locus mutatus est et idem uno iugo magis in occidentem positum est.¹⁰ Infra mensam altaris reliquiae sanctorum martyrorum Christophori atque Christinae in capsulā metallinā, quae insigni Augustani episcopi Maximiliani von Lingg signata est, condebantur.¹¹ Anno 1922^o Archiabbatia reliquias Sanctae



Tabernaculum altaris maioris.

-
- 8 Brevis descriptio huius altaris invenitur in textū, qui est «Der neue Hochaltar von St. Ottilien». In: Mbl 9, 1904/05, p. 110 et in symbolā, c.t. Franz Bernhard WEISSHAAR: Altarziborium. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 214. - Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 22 (ASO, A.14.0) tantummodo altare mense Iunio anni 1903ⁱ confectum esse affert. Cfr etiam Chron. Ottil., m. Iun. a. 1903.
- 9 Has fores Fr. Benignus Schmid fecerat [natus die 5 m. Maii a. 1869 in loco Feldheim in dioecesi Augustana sito a. 1893 monasterium Ottiliense intravit et ibi die 2 m. Iun. a. 1895 vota sua protulit.. Vitā functus est die 23 m. Ian. a. 1915 in Abbazia Swickersperchiensi (ASO, A.1.1 (PA Schmid))]. Fr. Benignus erat ferrarius et hōc munere fungens in omnibus monasteriis Germanicis Congregationis operabatur. Cfr etiam symbola, c.t. «Im Schatten der Mariahilf-Kapelle». In: Mbl 19, 1914/15, pp. 173 sqq., ubi praeter alia commemoratur quōque eum tabernaculum altaris maioris in Ottiliensi ecclesiā Sacratissimi Cordis Iesu fecisse. - Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar der Klosterkirche St. Ottilien (1995-1998), IALTZIB S. 1 (ASO, A.14.4.1.11) tabernaculum describit.
- 10 Cfr Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), IALTZIB p. 4 (ASO, A.14.4.1.11); Baugeschichte (s.a.), p. 12 (ASO, A.14.0); Franz Bernhard WEISSHAAR: Altarziborium. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 221; Heide WEISSHAAR-KIEHM: Klosterkirche. In: Claudius BALS / Walter SEDLMEIER (edd.) (1994), p. 26; Leander BOPP (1952), p. 39 (ASO, D II); Frumentius RENNERT: Herz-Jesu-Kirche (s.a.), p. 47 (ASO, A.14.4.1.11), qui praeterea scribit hanc intercessionem a P.re Dominico Enshoff prolatam esse.
- 11 In documento consecrationis, 29.6.1903 (ASO, A.3.2.5; ASO, A.14.4.1.12) nomina illorum martyrorum indicantur. - Vgl. Franz Bernhard WEISSHAAR: Fabrica Ecclesiae Sacratissimi Cordis Iesu. [Bautagebuch 1992-1994], pp. 25 sq. (ASO, A.14.4.1.12).



Scrinium reliquiarum Sanctae Otiliae.



Documentum anni 1938ⁱ ad reliquias Sanctae Otiliae pertinentes.

Otiliae accepit,¹² quas Abbas Simon Landersdorfer Schirensis die 21^o m. Mart. a. 1922^o Archiabbați Norberto dono tradiderat.¹³ Anno 1927^o additae sunt¹⁴ reliquiae quaedam Coreani sacerdotis martyrisque Andreae Kim.¹⁵

12 Agitur de radii parte alicuius dextri brachii muliebris. Investigationibus anatomicis, quae anno 1938^o factae sunt, apparuit ossa vetustissima esse. Reliquiae - secundum documentum - iam complura saecula in monasterio Schirensi asservabantur. - Fortasse monachi Hirsaugienses, qui cellam monasticam anno 1077^o in loco Cella Interiore [Bayrischzell] conditam inhabitaverunt, hanc reliquiam ex monasterio Hirsaugiensi attulerant. Ibidem reliquiam Sanctae Otiliae satis mature asservatam fuisse probatur (cfr Medrad BARTH: Die Heilige Otilie. Straßburg 1938, 2, p. 4). Abbatia Schirensis anno 1119^o post plures mutationes loci ex hac cella exorta erat.

Supra exhibitum reliquiae scrinium - sicuti e signo appposito apparet - anno 1928^o in opificinā Monacensi Asam Iseman confecta est. Ipsum scrinium intitulatum est inscriptionibus his: in parte anteriore: *Vidimus stellam regis et venimus adorare eum*; in parte posteriore: *Lumen oculorum lumen verae fidei lumen aeternum impetrans conserva*; in latere dextro: *In lumine tuo videbimus lumen*; in latere sinistro: *Veni ignem mittere in terram*. In fundo partis interioris in loco anteriore legitur: *S. Odilia Patrona congregationis N[ost]rae* et in loco posteriore: *Ora pro nobis*.


13 Conexūs in documento diei 8ⁱ m. Dec. a. 1938^o ab Archiabbațe Chrysostomo Schmid subscripto explicantur, quod investigatione factā reliquiis subiunctum est. Reliquiae inde ex ecclesiae renovatione magnā inter annos 1992^{um} ad 1994^{um} factā infra novum altare celebrationis asservantur.

14 Cfr documentum Kal. Iun. a. 1927 a Norberto Weber subscriptum (ASO, A.14.4.1.11), quo testimonium praebetur reliquiis in vasculo speciali conditas esse. Andreas Kim die 5^o m. Iul. a. 1925^o beatificatus est, die 6^o m. Maii a. 1984^o canonizatus est.

15 Andreas Kim Tae-gon (1821-1846) erat primus sacerdos Romano-catholicus Coreae. Idem inter persecutionem Christianorum in Coreā anno 1846^o cruciatū habito interfectus est.

Illae duae reliquiae primo in cappella abbatiali aedificii monasterialis asservabantur.¹⁶

Altare maius satis mature ad terminum ecclesiae consecrandae constitutum erat confectus. Haec sollemnitatis magni momenti, ut praedisposita erat, die 29^o m. Iun. a. 1903^o instituebatur.¹⁷ Consecrationem episcopus Augustanus Maximilianus von Lingg caerimonia sollemni suscepit.¹⁸



Altare ciborii tempore priore et tempore recenti.

16 Eadem inde ex anno 1994^o infra celebrationis altare novum asservantur.

17 Hic terminus certus eā de causā erat magni momenti, quia dies 29^{us} mensis Iunii ut «dies natalis» domūs missionariae Benedictinae atque Congregationis celebratur. - Ad hanc rem *cfr.* Vol. 1, cap. 1.2.3.2.

18 *Cfr.* imprimis consecrationis documentum officiale ab episcopo Maximiliano subscriptum, 29.6.1903 (ASO, A.3.2.5; ASO, A.14.4.1.12). - *Cfr.* etiam Chron. Ottil., m. Iun. 1903; Mbl 8, 1903/04, p. 85 (Kleine Chronik aus St. Ottilien); Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 22 (ASO, A.14.0); Baugeschichte (s.a.), p. 12 (ASO, A.14.4.1); Leander BOPP (1952), p. 39 (ASO, D II); Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), uez p. 9 (ASO, A.14.4.1.11); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 214; Frumentius RENNER: Herz-Jesu-Kirche (s.a.), pp. 39 sqq. (ASO, A.14.4.1.11); Heide WEISSHAAR-KIEHM: Klosterkirche. In: Claudius BALS / Walter SEDLMEIER (edd.) (1994), p. 24; Cyrill SCHÄFER: Stella maris. St. Ottilien 2003, p. 73; Franz Bernhard WEISSHAAR: Altarziborium. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 221.

Unā cum altari maiore etiam altare Beatae Mariae Virginis et altare Sacramenti consecrabantur.

Tamen altare maius, quod praedispositum erat ut altare ciborii, demum in initio anni 1905ⁱ baldachino collocato conficiebatur.¹⁹ Secundum delineationes Iohannis Schurr Aloisius Miller sculptor Monacensis primo ectypa mensurae minoratae unius ad decem atque delineationes singularum partium et ectypa mensurae originalis fecerat.²⁰

Effectus omnium harum deliberationum operumque notatū dignissimus est. Iohannes Schur deliberationibus suis principalibus quidem nonnulla ciborii altaria genere neogotico exarata sequebatur, sed exemplar suum aliquatenus simplicius reddidit.²¹ Quattuor columnis, quibus altare circumdatur, baldachinus artificiose compositus sustentatur.²²



Centralis figura Christi nimbo circumdata.

In centro compositionis iconographicae scilicet est figura Christi vestimento longo induti, quae in coniunctionem transversam columnarum orientalium imposita est, ita ut ex capso ecclesiae perceptus Christus supra tabernaculum exurgere videretur. Chris-

19 De termino baldachini allati sive collocati *cf.* Chron. Ottl., m. Nov. 1904, m. Dec. 1904; «Der neue Hochaltar von St. Ottilien». In: Mbl 9, 1004/05, p. 110; Leander BOPP (1952), p. 39 (ASO, D II); Frumentius RENNER: Herz-Jesu-Kirche (s.a.), p. 46 (ASO, A.14.4.1.11); Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 23 (ASO, A.14.0); Heide WEISSHAAR-KIEHM: Klosterkirche. In: Claudius BALS / Walter SEDLMEIER (edd.) (1994), p. 26; Maria HILDEBRANDT (2008), S. 215; Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), uzb p. 9 (ASO, A.14.4.1.11).

20 *Cf.* Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), IALTZIB p. 4 (ASO, A.14.4.1.11); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 215; Franz Bernhard WEISSHAAR: Altarziborium. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 218. Opera metallina conficienda opificinae Hemm, Zierhut & Krieger tradita sunt.

21 Franz Bernhard WEISSHAAR: Altarziborium. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 214 scribit Iohannem Schurr hōc in opere nimietatem elementorum neo-Goticorum vitavisse.

22 De descriptione et interpretatione programmaticae imaginis *cf.* imprimis Franz Bernhard WEISSHAAR: Altarziborium. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), pp. 214 sqq. - Breviter etiam in textū, qui est «Der neue Hochaltar von St. Ottilien». In: Mbl 9, 1904/05, pp. 110 sq.; Heide WEISSHAAR-KIEHM (2009), p. 12; Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), IALTZIB p. 4 (ASO, A.14.4.1.11).

tus, qui in taenia nubium stat, invitans bracchia extendit.²³ Haec figura, qui cor adumbrate signatum in pectore habet, circumdata est nimbo amgygdaliformi, qui ante crucem positus est. Comitatur figura Christi in lateribus a duobus angelis genibus flexis Christum adorantibus.²⁴



Angelus baldachinum sustentans.

In singulis capitellis columnarum conspicitur angelus genibus flexis atque alis extensis, qui angeli baldachinum sustentare videntur. Baldachini fastigia imaginibus relevatis ornata sunt. In lateris occidentalis adversum capsum ecclesiae parte exteriori monstratur Deus Pater benedicens cum coronā atque globo mundi, in parte interiore Spiritus Sanctus. Reliquae areae fastigiorum referunt ad Christi opera salutifera.

Itaque in areā orientali conspicitur calcator uvarum sic dictus tamquam sym-



Deus pater benedicens.

bola passionis Christi, in fastigii area septentrionali Pastor Bonus et in area meridionali rex sacerdos Melchisedech, qui exemplo sacrificii Novi Testa-

23 Franz Bernhard WEISSHAAR: Altarziborium. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 214 explicat hanc figuram in memoriam vocare illam figuram Christi, quam sculptor Bertel Thorvaldson inter annos 1821^{um} et 1828^{um} pro Hafniensi ecclesiā Nostrae Dominae confecerat.

24 Et figura Christi et omnes aliae imagines, symbola ornamentaque ex orichalco sunt caelata.

menti fungitur. Fastigia autem coronantur magnis Gothicis floralibus ornamentis terminalibus.

In angulis structurae superioris inveniuntur quattuor figurae allegoricae animalium: in latere anteriore occidentalique cervus alatus atque columba virgulam oleaginam in rostro tenens, in latere posteriore orientalique aquila atque unicornis, cui quodque alae sunt. Proh dolor Iohannes Schurr non exposuit scripto modo, cur illa animalia ipsa elegisset, quā de causā interpretatio tota est aliquatenus non satis clara.²⁵ Generaliter de laude Christi Salvatoris agi tamen addubitari non potest.²⁶ Unoquoque horum animalium in symbolismo Christiano tamen varii aspectūs repraesentantur, ex quibus multi ad Christum referri possunt. Prima cogitatio, quae in conexū cervi²⁷ in mentem venit, verisimiliter est versus psalmi: «*Quemadmodum desiderat cervus ad fontes aquarum, ita desiderat anima mea ad Te, Deus.*»²⁸ Etiam in cantico canticorum sponsa celeritatem, fortitudinem venustatemque sponsi comparat cum cervo iuvenili.²⁹ Hōc locō interpretatione Christianā sponsus cum Christo aequiperari potest. In textū Physiologi³⁰ praeterea narratur cervum ut inimi-



Florale ornamentum terminale.

25 In symbola, quae est «Der neue Hochaltar von St. Ottilien». In: Mbl 9, 1904/05, p. 111 breviter adnotatur unicornem significare vim insuperabilem, cervum symbolum esse peccatis carentis, aquilam volatum altum significare, qui spiritum mundanum relinquit, et columbam ante oculos ponere pacem redemptionemque.

Franz Bernhard WEISSHAAR: Altarziborium. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), pp. 217 sq., qui usque nunc unicus erat, qui interpretationem integram harum figurarum animalium exhibere conatur, hac in re tantummodo Physiologum adhibet. Praebet quidem interpretationem in se consistentem, quā tamen una alterave quaestio nondum explicata relinquitur.

26 Illis animalibus agi de symbolis Christi, etiam apparet ex descriptione figurarum in ratione nummariā Aloisii Miller, 11.3.1905 (ASO, A.14.4.1).

27 De aspectū symbolico cervi *cfr* ex.gr. Bernhard DOMAGALSKI: s.v. Hirsch. In: RAC 15 (1991), coll. 551 fsqq.; Peter GERLACH: s.v. Hirsch. In: LCI 2 (2015), coll. 286 sqq.; Bernhard DOMAGALSKI: s.v. Hirsch. In: LThK 5 (1996), col. 152.

28 VVLG. Ps 41,2.

29 Cant. 2,9; 2,17; 8,14.

30 Physiologus est scriptum verisimiliter saeculo secundo p.Chr.n. exortum, quod originaliter Graece exaratum erat et quo animalia, plantae lapidesque describuntur atque ut symbola Christianae historiae salutis percipiuntur. Physiologus compluries vertebatur atque usque



Baldachini figura cervi et figura columbae.

cum serpentis, id est diaboli, hanc bestiam conterere atque interficere.³¹
Aequiperatio cervi cum Christo etiam apud patres ecclesiasticos invenitur. -



Baldachini figura unicornis.

Baldachini figura aquilae.

Columba³² ut symbola pacis et animae, quae ad perfectionem pervēnit, perci-

in tempus mediaevale late diffundebatur.

31 Physiologus, cap. 30.

32 De symbola columbae *cfr.* ex.gr. Joachim POESCHKE: s.v. Taube. *In*: LCI 4 (2015), coll. 241 sqq.; Benedikt SCHWANK: s.v. Taube. *In*: LThK 9 (2000), col. 1277.

pitur, sed imprimis ut signum Spiritūs Sancti (sed tunc potius non unā cum virgula oleagina). In Physiologo eadem etiam sub compluribus aspectibus explicatur,³³ putatur tamen columba hōc locō praesertim in conexū litania Sacratissimi Cordis Iesu haberi ut «pax et reconciliatio nostra».³⁴

In angulis baldachini lateris orientalis unā ex parte positus est unicornis, qui quōque alas gerit.³⁵ Etiam unicorni conexūs multiplices cum Christo adscribuntur, imprimis idem cum ipso Christo identificatur,³⁶ quā in re Christum Salvatorem esse demonstratur.³⁷ In Physiologo praeter narrationem, quā unicornis tantummodo a virigine purā capi potest, explicatur unicornem aquam a serpente venenatam purificare valere. Hoc significat Christum morte in cruce susceptā peccatum superare.³⁸ - Contra unicornem positus est aquila.³⁹ Etiam huic animali sunt plures significationes symbolicae. Duo autem aspectūs ad Christum pertinentes hōc in conexū praesertim magni momenti esse videntur: nam unā ex parte aquila est symbola resurrectionis atque in caelum ascensionis Christi,⁴⁰ alterā ex parte idem significat redemptionem hominis per Christum factam atque eius renovationem, quam fide

33 Physiologus, cap. 28.

34 Sic scribit Franz Bernhard WEISSHAAR: Altarziborium. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), pp. 217 sq. - Tamen etiam versus, qui est «vita et resurrectio nostra», adhiberi potest.

35 De aspectū symbolico unicornis *cfr* ex.gr. Liselotte WEHRHAHN-STAUCH: s.v. Einhorn. In: RDK 4 (1958, coll. 1504 sqq.; Andreas VIZKELATY: s.v. Einhorn. In: LCI 1 (2015), coll. 590 sqq.; H. BRANDENBURG: s.v. Einhorn. In: RAC 15 (1991), col. 551; Doris GERSTL: s.v. Einhorn. In: LThK 3 (1995), col. 552.

36 Exempli gratiā scribit Ambrosius, In psalm. XLIII enarr. 17: Quis autem unicornus nisi unigenitus Dei Filius, et unicum Dei Verbum, quod erat in principio apud Patrem?

37 VVLG. Lc 1,69: et erexit cornu salutis nobis in domo David pueri sui.

38 Physiologus, cap. 22. - Franz Bernhard WEISSHAAR: Altarziborium. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 217 in conexū unicornis hunc aspectum non respicit.

39 De symbolā aquilae *cfr* ex.gr. Hans KALLENBACH: s.v. Adler. In: RDK 1 (1937), coll. 172 sqq.; Th. SCHNEIDER / E. STEPLINGER: s.v. Adler. In: RAC 1 (1950), coll. 87 sqq.; Genoveva NITZ: s.v. Adler. In: LThK 1 (1993), col. 159; Liselotte WEHRHAHN-STAUCH: s.v. Adler. In: LCI 1 (2015), coll. 70 sqq..

40 *Cfr* ex.gr. PS.AMBR. Sermo 46,5: Aquilam in hoc loco Christum Dominum nostrum debemus accipere, qui post venerandam resurrectionem, qua docuit humanum genus in vitam redire posse post mortem, velut aquila revolavit ad Patrem.

AVG. Enarr. in psal. 102,9: Illud tantummodo insinuatum sit cordibus nostris non sine causa dictum esse a Spiritu sancto *Renovabitur sicut aquilae iuventus tua*. Resurrectionem enim quandam significat nobis.

acquiri potest.⁴¹ Omnia autem quattuor animalia exhibentur alata. Aquila atque columba naturaliter alas habent, sed etiam figurae unicornis, qui saepissime sine alis fingitur, atque cervi alis instructae sunt. Itaque concludi posse videtur hunc in modum ascensum ad caelum demonstrari.



Crux altaris maioris.



Ostentorium festivum.

Hōc ciborii altari opus magnificentum effectum est, quod ornamentis, imaginibus figurisque suis est pulcherrimum atque eisdem plurima exprimit et quod verus thesaurus artis appellari potest.⁴² Perficiebatur instructio altaris duobus aliis artificiiis, quod utrumque structuræ genere florali exaratum est. Unum

41 Etiam in Physiologo, cap. 6 hic symbolismus invenitur. - Franz Bernhard WEISSHAAR: Altarziborium. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 217 interpretatione suā hōc in conexū solum ad amantem curam Dei refert.

42 Imaginari valemus tale opus conficere vilis pretii non fuisse. Revera sumptūs praedispositi - sicuti hodiernis quōque temporibus esse solet - in fine duplicati sunt. Sic sculptor Aloisius Miller imprimis pro ectypis lineamentisque baldachini 4.600 marcas postulaverat. Cfr Aloisii Miller ratio nummaria, 11.3.1905 (ASO, A.14.4.1). Pro definitivis operibus ex orichalco factis opificina Hemm 6.978 marcas praedisposuerat, sed denique, quia labores quoad spatium temporis multo sumptuosiores erant, 12.917 marcae evenerunt. Cfr ratio nummaria opificinae Hemm, 9.2.1905 (ASO, A.14.4.1). Consultationibus inter Aloisium Miller, opificinam Hemm atque Abbatiam initis contigit, ut pecunia demum postulata ciricter in 10.000 marcas minueretur. - Cfr etiam Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), IALTZIB p. 3 (ASO, A.14.4.1.11). - Ad hanc rem breviter quōque Maria HILDEBRANDT (2008), pp. 215 sq.; Franz Bernhard WEISSHAAR: Altarziborium. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 218.

ex iis erat crux, quam Iohannes [*Hans*] Miller, filius Aloisii Miller, perfecerat et quam fratri suo P.ri Bonaventurae Miller anno 1908° donaverat, cum ille sacerdotio est auctus. Constat ex cupro inaurato, smalto violaceo et duodecim amethystis.⁴³ Haec vero crux in altari maiore ponebatur. Alterum artificium est pulchrum elegansque ostentorium festivum, quod quōque Iohannes Miller adumbraverat atque anno 1911° perfecerat.⁴⁴ Ostentorium in altitudinem 95 centimetrorum extenditur et ex argento, ex argento inaurato, ex ebore⁴⁵ atque e lapide lazuli confectum est.⁴⁶ Figuratione artificiosā materialium factum est artificium pulcherrimum, quod fine suo vere dignum erat.⁴⁷ Primā vice hōc ostentorium anno 1911° in missā festi Corporis Christi in usū erat.

Ecclesia abbatialis baldachino inserto tunc splendidum altare maius habuit, tamen reliquum aedificium intrinsecus adhuc satis inornatum, id est instructio provisoria erat. Iam anno 1903° in septentrionalem capsum transversum nova fenestra multicolor erat imposita. Eadem in memoriam benedictionis

43 De hac cruce *cfr* Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), IALTZIB pp. 4 sq. (ASO, A.14.4.1.11); Chron. Ottil., m. Aug. 1908; Heide WEISSHAAR-KIEHM: Klosterkirche. In: Claudius BALS / Walter SEDLMEIER (edd.) (1994), p. 26; Franz Bernhard WEISSHAAR: Altarziborium. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 226.

44 Fuse describit atque explicat hōc ostentorium Frumentius RENNER: Sakrale Kunst der Jugendstilepoche in St. Ottilien. In: Jahrbuch des Vereins für Christliche Kunst in München 12, 1992, pp. 116 sq. - Breviter ad rem etiam Chron. Ottil., m. Iun. 1911; Ann. Ottil. 3, 19.6.-22.6.1911, p. 112 (ASO, A.3.4.3) (hic praeterea legitur hōc ostentorium fuisse desiderium ex imo corde exoptatum Abbatis Norberti); Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), IALTZIB p. 5 (ASO, A.14.4.1.11); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 218; Franz Bernhard WEISSHAAR: Altarziborium. In: Godfrey SIEBER / Cyrill SCHÄFER (edd.) (2003), p. 226.

45 Ebur pro ostentorio adhibitum exortum erat a dente elephantino musei Ottiliensis.

46 Sumptūs ad hōc opus splendidum pretiosumque conficiendum donis per plures annos collectis, venditione ornamentorum donatorum et primitiarum pecuniā P.ris Bonaventurae Miller erogari potuerunt. - *Cfr* Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), IALTZIB S. 5 (ASO, A.14.4.1.11). Ibīdem textūs schedulae exhibetur, quae in pede ostentorii est et quae anno 1994° in actū conservandi inventa est. Textū explicantur conexūs, quibus ostentorium exortum est.

47 Frumentius RENNER: Sakrale Kunst. In: Jahrbuch des Vereins für Christliche Kunst 12, 1992, p. 117 īdem appellat «*coniunctionem imitationis naturae, quae generi florali tantopere convenit, et lineis geometricis figurisque*».

abbatialis Norberti Weber ab Adamo Wiedemann unā cum nonnullis hospitibus in festo praesentibus donata erat.⁴⁸ Hac fenestrā monstratur annuntiatio Domini ad Mariam.⁴⁹ Scitū dignum est hac in imagine Mariam in textum



Fenestra «Annuntiationis Domini».



Fenestra «Moyasis».

incumbentem in scriptorio quodam versari, cum angelus ei apparet. In scaenā inferiore conspicitur a sinistris insigne episcopi Maximiliani von Lingg, qui benedictionem abbatialem largitus est, et a dextris insigne abbatiale Norberti Weber.

Anno 1907^o alia fenestra multicolor addita est, quae in meridionalem capsum transversum in propinquo altaris Sacramenti muro inserta erat. Eandem sacerdotes dioecesis Augustanae, qui anno 1882^o sacerdotio aucti sunt, in iubilaeum suum vicesimum quintum donaverant.⁵⁰ Ibīdem scaena monstratur,


48 Cfr Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), ifenc p. 1 (ASO, A.14.4.1.11). - Eandem breviter commemorat Heide WEISSHAAR-KIEHM: Klosterkirche. In: Claudius BALS / Walter SEDLMEIER (edd.) (1994), p. 52; Heide WEISSHAAR-KIEHM (2009), p. 22. - Fenestra conficiebatur ab officina Monacensi Francisci Xaverii Zeller.

49 Cfr Lc 1,26-38.

50 Cfr Chron. Ottil., Iun.-Aug. 1907; Ann. Ottil. 3, 8.8.1907, S. 65 (ASO, A.3.4.3). - Haec fenestra, cum ipsum monasterium primā vice amplificabatur, translata est, quia illo loco tunc introitus monachorum ex novo ambulacro stationis in ecclesiam erat. Haec fenestra nunc supra portam principalem ecclesiae conspicitur.

quā Moyses Deo in rubo ardente obviam venit.⁵¹

Inde ab anno 1904^o paulatim et gradatim in instructionem internam oeci ecclesiae incumbi pergebatur. Hac in re monachos non magnā celeritate progredi valuisse bene intellegitur, cum omnia coniuncta erant sumptibus, qui non semper statim erogari potuerunt. Mense Iulio anni 1904ⁱ podia in capso transverso meridionali septentrionalique erigi incipiebantur. Causa quaedam erat loco indigeri pro primo organo vero diu desiderato.⁵² Hōc organum mense Aprili a. 1903ⁱ mandatum erat apud Faucensem⁵³ opificinam Späth et - contra primam dispositionem - demum mense Aprili a. 1905ⁱ instructum est.⁵⁴ Hōc organum deinde in podio meridionali situm erat.⁵⁵



Delineatio organi primi.

Mensibus Martio Aprilique a. 1908ⁱ laboribus diutius antecedentibus factis

51 *Cfr* Ex 3,1 sqq.

52 De primo organo *cfr* Chron. Ottil., m. Nov./Dec. a. 1903, m. Apr. 1905; Ann. Ottil. 3, 3.4.1905, p. 17 (ASO, A.3.4.3); Konrad HECKELS-MÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 24 (ASO, A.14.0); Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), uzb p. 9 (ASO, A.14.4.1.11); Frumentius RENNERT: Geschichte der Orgeln in der Abteikirche St. Ottilien (1995), p. 1 (ASO, A.14.4.1.11); Leander BOPP (1952), p. 39 (ASO, D II); Frumentius RENNERT: Herz-Jesu-Kirche (s.a.), p. 46 (ASO, A.14.4.1.11); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 215.

53 Faucens: *Füssen*.

54 Organum retardate allatum esse versimiliter etiam cohaerebat cum condicione, quā tempore construendi in opificina incendium exortum est, quo pars operis debebatur.

55 Mense Aprili a. 1910^o pars stallorum chori instrui coepta est. Eadem confecta erant ligno colore nigro tincto, cui hypostracum mytilorum insertum erat. Hic color niger, ut videtur, non omnibus placuit, ita ut autumno anni 1913ⁱ, cum in choro maiorando plura stalla apponebantur, illa nova colorem naturalem acceperunt et a prioribus color niger amotus est. - *Cfr* Maria HILDEBRANDT (2008), p. 218, p. 223; «Jahresbericht der Benediktiner-Mission von St. Ottilien. In: Mbl 18, 1913/14, S. 258; Leander BOPP (1952), p. 39 (ASO, D II); Frumentius RENNERT: Herz-Jesu-Kirche (s.a.), p. 51, p. 53 (ASO, A.14.4.1.11); Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 30, p. 37 (ASO, A.14.0).



Suggestūs imago Ecclesiae.



Suggestūs imago Bernhardi Claravallensis.

etiam novus suggestus collocari potuit, quo ligneus suggestus provisorius substituebatur.⁵⁶ Agebatur autem de opere e lapide fusili facto et structurae genere neo-Gotico exarato, quod Fr. Thaddaeus Schmuderer atque Fr. Anselmus Werner perfecerant.⁵⁷ Circumdatus erat suggestus quattuor tabulis imaginum relevatarum, id est imaginis Ecclesiae et imaginum, quibus tres viri dignitate praediti historiae ecclesiasticae monstrantur, nempe Gregorii Magni, Bedae Venerabilis atque Bernhardi Claravallensis.⁵⁸ - Hic vero sug-

56 Suggestus provisorius mense Martio a. 1899ⁱ instructus erat, qui deinde medio anno 1904^o podiis confectis altior redditus est, ita ut idem tantummodo ex podio meridionali ascendi posset. - *Cfr* Chron. Ottil., m. Mart. a. 1899; Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), IKANZ p. 1 (ASO, A.14.4.1.11); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 215; Leander BOPP (1952), p. 38 (ASO, D II), qui condicionem huius suggestūs explicat sententiā hac: «*Solum contionatores sub omni aspectū vertigine non correpti eum ascendere audere potuerunt.*»

57 De suggestū e lapide fusili facto *cfr* Chron. Ottil., m. Nov. a. 1907, m. Mart. a. 1908; Ann. Ottil. 3, 13.4.1908, p. 72 (ASO, A.3.4.3); Leander BOPP (1952), p. 38 sq. (ASO, D II); Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), IKANZ pp. 1 sq. (ASO, A.14.4.1.11); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 216; Heide WEISSHAAR-KIEHM: Klosterkirche. In: Claudius BALS / Walter SEDLMEIER (edd.) (1994), p. 26. Ipsum suggestum Iohannes Schur excogitavisse dicitur.

58 Cum hic suggestus substituebatur suggestū successore, tabulae imaginum relevatarum in hortum monasterialem translatae sunt (*cfr* Ann. Ottil. 3, 19.6.1913, p. 150, 23.7.1913, p. 152 (ASO, A.3.4.3). Sed inde ex magnā ecclesiae renovatione annis 1992-1994 factā hae tabulae denuo in interiore parte ecclesiae inveniuntur: Ecclesia a sinistris iuxta introitum novum, Bernhardus atque Beda in pariete occidentali, Gregorius Magnus in latere



Suggestūs imago Bedae Venerabilis.



Suggestūs imago Gregorii Magni.

gestus quinque annis post iam iterum amotus et anno 1913^o suggestū marmoreo substitutus est.⁵⁹ Eodem tempore supra novum suggestum atque supra thronum abbatialem⁶⁰ contra eundem positum baldachini affixi sunt.⁶¹

meridionali chori ante scalas ad cryptam ducentes.

59 De suggestū marmoreo *cfr* «Jahresbericht der Benediktiner-Mission St. Ottilien». *In*: Mbl 18, 1913/14, p. 258; Leander BOPP (1952), p. 39 (ASO, D II); Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), IKANZ p. 2 (ASO, A.14.4.1.11); Heide WEISSHAAR-KIEHM: Klosterkirche. *In*: Claudius BALS / Walter SEDLMEIER (edd.) (1994), p. 28; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 223.

Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), IKANZ p. 2 (ASO, A.14.4.1.11) existimat - etiam ex causis stilisticis - suggestum marmoreum demum inter renovationem ecclesiae interiorem annis 1931/1933 factam instructum esse. Tamen hac opinione prolatā non respicit suggestum marmoreum iam in «Puginis missionariis» (Mbl 18, 1913/14, p. 258) commemoratum esse; similiter in Ann. Ottil. 3, 3.4./4.4.1913, p. 151 (ASO, A.3.4.3).

60 Thronus abbatialis erat donum monachorum, quod Abbas Norbertus anno 1907^o in diem onomasticum suum acceperat. - *Cfr* Chron. Ottil. m. Iun./Aug. a. 1907; Leander BOPP (1952), p. 41 (ASO, D II).

61 De baldachinis breviter Ann. Ottil. 3, 14.11.1913, p. 175 (ASO, A.3.4.3); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 223; Leander BOPP (1952), p. 41 (ASO, D II); Heide WEISSHAAR-KIEHM: Klosterkirche. *In*: Claudius BALS / Walter SEDLMEIER (edd.) (1994), p. 28. Baldachinus suggestui superpositus non solum erat ornamentum, sed eodem etiam condicio acustica inter homilias meliorabatur.

Mense Iunio a. 1913^o praeterea cancelli lapidei ecclesiae imponebantur, quibus cancelli lignei substituebantur. - *Cfr* Ann. Ottil. 3, 28.6.1913, S. 150 (ASO, A.3.4.3); Konrad

Anno 1908^o denique tempus aderat, quo crypta ornari potuit.⁶² Causa huius novae instructionis erat donum, quod Sorores Benedictinae Eichstadienses⁶³ monasterio Ottiliensi dederant. Agebatur de altari neo-Romanico, quod revera capellae seminarii destinatum erat, sed quod huic loco nimis magnum se praebebat. Itaque altare novum invenit locum suum ante parietem orientalem cryptae ecclesiae, prius vero altare cryptae in cappella seminarii consti-
tuebatur. In retabulo autem novi altaris conspiciebatur Sancta Valburga, imaginibus in latere sinistro monstrabantur Sanctus Benedictus atque Sanctus Villibaldus, in latere dextro Sancta Lioba atque Sanctus



*Thronus abbatialis
cum baldachino.*



Altare Sanctae Walburgae in crypta posita.

HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 37 (ASO, A.14.0); «Jahresbericht der Benediktiner-Mission St. Ottilien». In: Mbl 18, 1913/14, p. 258; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 223; Leander BOPP (1952), p. 41 (ASO, D II); Heide WEISSHAAR-KIEHM: Klosterkirche. In: Claudius BALS / Walter SEDLMEIER (edd.) (1994), p. 26.

62 De crypta cfr Chron. Ottil., m. Sept. a. 1908; Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 27 (ASO, A.14.0); Heide WEISSHAAR-KIEHM: Klosterkirche. In: Claudius BALS / Walter SEDLMEIER (edd.) (1994), p. 26; Maria HILDEBRANDT (2008), pp. 238 sq.

63 Eichstadium: *Eichstett*.




Crypta anno 1908° recenter depicta.

Bonifatius. Sicuti iam antea iuxta altare apponebantur statuæ Sacratissimi Cordis Iesu atque Sanctae Mariae Lapurdensis.⁶⁴ Quod novum altare ibīdem instructum est, occasio data est, quā cryptae parietes, qui usque tunc solum dealbati erant, recenter depingebantur. Fr. Engelbertus Dürnholz,⁶⁵ qui opus pingendi susceperat, parietes colore caeruleo ornavit, qui saltem post altare stellis decoratus erat. Pro hōc opere īdem magnam laudem confratrum accepit.

Magni momenti pars ornatūs interni ecclesiae abbatialis inter annos 1909^{um} et 1919^{um} conficiebatur, nempe instructio definitiva cappellarum, quae in capsis lateralibus sitae sunt. Decem anni sunt quidem temporis spatium satis longum, sed unā ex parte necessaria pecunia acquirenda erat, alterā ex parte praecipue artificia efficienda tempore indigent. Etiam si, dum singulae cappellae laterales instruuntur, aliae res iam commemoratae in ecclesiā exarabantur, hae cappellae propter meliorem conspectum unā describantur.

64 Lapurdum: *Lourdes*.

65 Fr. Engelbertus (Hubertus) Dürnholz natus die 27° m. Ian. a. 1882° in loco Oepi [*Eupen*] in dioecesi Oepi-Malmedunario [*Eupen-Malmedy*] sito anno 1903° Abbatiam Ottiliensem intravit et vota sua die 8° m. Oct. a. 1905° protulit. Anno 1913° monasterium reliquit (ASO, A.1.1 (PA Dürnholz)). - Deinde ut artifex operatus est et numeratur inter repraesentantes «picturae ecclesiasticae expressionisticae», quae dicitur. Praeter nonnulla opera ipsius videtur ex eius vitā non multum esse notum, etiam annus eius obitūs ignotus esse videtur.



Situs cappellarum in ecclesiā: 8 cappella Sancti Benedicti, 9 cappella Sanctae Ottiliae, 10 cappella Sancti Pauli, 11 locus primo cappellae Sancti Bonifatii destinatus, 12 cappella Michaelis archangeli, 13 cappella Sanctae Scholasticae, 14 cappella Sancti Iosephi, 5 hodiernus (et etiam originalis) locus altaris ciborii, 2 hodiernum spatium introitus, prior cappella Sancti Antonii, deinde cappella Sancti Bonifatii.

Iam antequam prima cappella lateralis incohata est, Abbas Norbertus praecepit unamquamque cappellam disponendam esse totam atque omnes eius partes in se convenire debere.⁶⁶ Prima cappella, quae secundum hōc principium exornata est, erat cappella Sancti Iosephi, quae sita est in oriente capsi lateralis septentrionalis.⁶⁷ Locus est vere idoneus, cum eadem sita est oblique contra altare Sanctae Mariae. Hanc cappellam, qua anno 1909^o confecta est, Iohannes [Hans] Miller excogitaverat. Retabulum altaris constat e statua Sancti Iosephi, qui infantem Iesum in brachiis tenet, et iuxta ipsum con-

66 Fuse explicatur hoc principium Chron. Ottil., Apr. 1909.

67 De cappella Sancti Iosephi *cfr* Chron. Ottil., Apr. 1909; Ann. Ottil. 3, 31.3.1909, p. 82 (ASO, A.3.4.3); Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), Kap8, p. 1 sq. (ASO, A.14.4.1.11); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 217; Frumentius RENNER: Herz-Jesu-Kirche (s.a.), p. 50 sq., p. 53 (ASO, A.14.4.1.11). - Heide WEISSHAAR-KIEHM: Klosterkirche. In: Claudius BALS / Walter SEDLMEIER (edd.) (1994), p. 52; Heide WEISSHAAR-KIEHM (2009), p. 21, quae utroque loco verisimiliter per errorem annum 1910^{um} ut terminum conficiendi indicat (cappella die 3^o m. Apr. a. 1909^o benedicta est). - Breviter hanc cappellam commemorant Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 29 (ASO, A.14.0); Leander BOPP (1952), p. 40 (ASO, D II).



Altare Sancti Iosephi.



Fenestra cappellae Sancti Iosephi.

stitutae sunt statuae Sanctae Theresiae atque Sancti Iohannis de Matha.⁶⁸ In repleo imaginis altaris invenitur grex crucificationis, id est crucifixus, in cuius lateribus figurae Sanctae Mariae atque Sancti Iosephi constitutae sunt. Abbas Norbertus hōc altare die 3^o m. Apr. a. 1909^o caerimoniā sollemni benedixit.⁶⁹ Fenestra autem ad hanc cappellam pertinens mense Septembri a. 1909ⁱ in murum imposita est. Hanc fenestram Monacensis artifex Georgius Kölnsperger praedisposuerat.⁷⁰ Monstrantur autem eādem nuptiae Mariae Iosephi-que atque fuga in Aegyptum.⁷¹

68 Hi duo Sancti erant patroni illius paris coniugum, qui pecuniam ad hōc altare faciendum dederant.

69 *Cfr* Chron. Ottil., m. Apr. a. 1909. Secundum Ann. Ottil. 3, 4.4.1909, p. 83 (ASO, A.3.4.3) benedictio erat die 4^o m. Apr. a. 1909^o. Terminus ergo videtur esse non satis clarus.

70 De Georgio Kölnsperger (1874-1932) *cfr* ex.gr. Sebastian STAUDHAMMER: Künstler und Auftraggeber. *In*: Die Christliche Kunst 19, 1922, coll. 168 sqq.; K. LYKA: s.v. Kölnsperger, Georg. *In*: Ulrich THIEME / Felix BECKER: Allgemeines Lexikon der bildenden Künstler 21 (1927), p. 141; Hans VOLLMER: Allgemeines Lexikon der bildenden Künstler. 3. Leipzig 1956, p. 80.

71 Fenestra commemoratur Ann. Ottil. 3, 18.6.1909, p. 85 (ASO, A.3.4.3); Heide WEISS-HAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), Kap8, pp. 2 sq. (ASO, A.14.4.1.11) Heide WEISS-HAAR-KIEHM (2009), p. 22; Heide WEISSHAAR-KIEHM: Klosterkirche. *In*: Claudius BALS



Altare Sanctae Ottiliae.



Fenestra cappellae Sanctae Ottiliae.

Eodem anno 1909^o etiam cappella Sanctae Ottiliae exorta est. Eadem mense Octobri confecta et in mediā cappellā meridionalis capsi lateralis instructa est.⁷² Dispositionem cappellae altarisque Iohannes Miller exaraverat. Ipsum altare modo extraordinario conformatum est. Nam retabulum altaris non ex picturā quādam constat, sed supra suppedaneum surgit ligneum opus pampinorum colore nigro pictum, cuius folia sunt inaurata. In parvis podiis, qui aspectum calycum praebent, constitutae sunt tres figurae sculptae. In centro scilicet figura Sanctae Ottiliae conspicitur, quae coronam gerit et in manū

/ Walter SEDLMEIER (edd.) (1994), p. 52.

72 De cappella Sanctae Ottiliae *cfr* Chron. Ottil., Jun. 1909, Okt. 1909; Ann. Ottil. 3, 11.10.-15.10.1909, p. 89 (ASO, A.3.4.3); Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), Kap2, pp. 1 sqq. (ASO, A.14.4.1.11); Frumentius RENNER: Sakrale Kunst. In: Jahrbuch des Vereins für Christliche Kunst 12, 1992, pp. 117 sq.; Maria HILDEBRANDT (2008), pp. 217 sq. - Heide WEISSHAAR-KIEHM: Klosterkirche. In: Claudius BALS / Walter SEDLMEIER (edd.) (1994), p. 46; Heide WEISSHAAR-KIEHM (2009), p. 17 illis locis iterum falso annum 1910^{um} indicat. - Breviter commemorant Leander BOPP (1952), p. 40 (ASO, D II); Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 29 (ASO, A.14.0); Medard BARTH (1938) 2, pp. 102 sq. (sine indicio anni). - Richard HOFFMANN: Bayerische Altarbaukunst. München 1923, p. 290 altare breviter describit illo loco non dicens, cui Sanctae altare dedicatum sit, similiter non in photographemate p. 260 exhibitio. Si quis ipsum altare iam viderat, idem scilicet recognoscit.

sinistrā⁷³ attributum suum tenet, id est librum cum oculis.⁷⁴ Ad Sanctae Ottiliae latera positae sunt minores figurae Sanctae Aefrae atque Sancti Udalrici, qui sunt patroni dioecesis Augustanae. Hae tres figurae magnis pampinis sicut nimbo amygdaloformi circumdantur. Cacumina ramorum magnis Goticis ornamentis terminalibus ornantur.⁷⁵ - Ad cappellam pertinens fenestra, quam Georgius Kölnsperger creavit, iam mense Iunio a. 1909ⁱ imposita est.⁷⁶ Monstrantur quattuor scaenae e vitā Sanctae Ottiliae depromptae, nempe aversio a patre, baptisma, sanatio aegrotorum atque eius mors. In summitate fenestrae exhibentur attributum Sanctae Ottiliae atque dictum Congregationis, quod est «Lumen caecis».

Mense Septembri a. 1913ⁱ altare Archangeli Michaelis collocabatur, et hōc quidem in secundā cappellā occidentali capsi lateralis septentrionalis.⁷⁷

73 Frumentius RENNER: Sakrale Kunst. In: Jahrbuch des Vereins für Christliche Kunst 12, 1992, p. 118 per errorem scribit esse manum dexteram.

74 Secundum Medardum BARTH (1938) 2, p. 7 agitur de statuā Goticā ex anno 1470^o exoriundā; Richard HOFFMANN (1923), p. 290 significat figuram esse veterem (tempus tamen non indicans). Frumentius RENNER: Sakrale Kunst. In: Jahrbuch des Vereins für Christliche Kunst 12, 1992, p. 118 opinionem profert hanc figuram Sanctae Ottiliae ab ipso Iohanne Miller esse sculptam.

75 Huius altaris exaratio artificiosa diversimode aestimabatur. Chronistae contemporaneo altare non ita placuisse videtur, id quod apparet adnotatione se ab iudicio abstinere et hoc singulis spectatoribus relinquere velle (cfr Chron. Ottil., m. Oct. a. 1909; breviter etiam Ann. Ottil. 3, 11.10.-15.10.1909, p. 89 (ASO, A.3.4.3)). Richard HOFFMANN (1923), p. XXXVIII «*recentissimi temporis*» ars altaria componendi appellat «*novum inceptum liberae compositionis altaris*» (ibidem ipsum altare non nominans, sed ille locus ad altare Sanctae Ottiliae referri potest) et p. 290 directe «*solutionem propriam individualemque*». Sic idem etiam aestimat Heide WEISSHAAR-KIEHM: Klosterkirche. In: Claudius BALS / Walter SEDLMEIER (edd.) (1994), p. 46; Frumentius RENNER: Sakrale Kunst. In: Jahrbuch des Vereins für Christliche Kunst 12, 1992, p. 118 iudicat artificem hōc opere «*fidei veritatem profundam artificiose expressisse*».

76 De fenestra cappellae Sanctae Ottiliae cfr breviter Ann. Ottil. 3, 18.6.1909, p. 85 (ASO, A.3.4.3); Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 29; (ASO, A.14.0); Maria HILDEBRANDT (2008), p. 217; Heide WEISSHAAR-KIEHM (2009), p. 17; Heide WEISSHAAR-KIEHM (2009), p. 46.

77 De altari Archangeli Michaelis cfr Chron. Ottil., m. Apr. a. 1914; Ann. Ottil. 3, 25.9.1913, p. 163; 21.4.1914, pp. 197 sq.; 25.4.1914, p. 198 (ASO, A.3.4.3); Leander BOPP (1952), p. 40 (ASO, D II); Frumentius RENNER: Herz-Jesu-Kirche (s.a.), p. 53 (ASO, A.14.4.1.11); Konrad HECKELSMÜLLER: Baugeschichte St. Ottilien (s.a.), p. 37 (ASO, A.14.0); Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), IKap6, pp. 1 sqq. (ASO, A.14.4.1.11); Frumentius RENNER: Sakrale Kunst. In: Jahrbuch des Vereins für Christliche Kunst 12, 1992, p. 118; Heide WEISSHAAR-KIEHM: Klosterkirche. In: Claudius BALS / Walter SEDLMEIER

Mensam altaris atque eius suprastructiones verisimiliter Iohannes Miller praedisposuit,⁷⁸ sed altare primo mansit provisorium, cum retabulum adhuc deerat. Hanc altaris imaginem pinxit P. Bonaventura Miller,⁷⁹ frater Iohannis



Altare Archangeli Michaelis.



Fenestra Angelorum.

Miller. Postquam confecta est, mense Aprili a. 1914ⁱ altari inserta est. Imago autem est extraordinaria, et quoad genus pingendi et quoad argumentum. Quod attinet ad genus pingendi, eadem pertinet ad expressionismum priorem. Monstratur archangelus Michael non ut is, qui diabolum praecipitem deiecit,

(edd.) (1994), p. 51; Maria HILDEBRANDT (2008), p. 224; Heide WEISSHAAR-KIEHM (2009), p. 20.

78 Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), IKap6, p. 1 (ASO, A.14.4.1.11) scribit eum, qui has superstructiones praedisposuit, reperiri non posse.

79 P. Bonaventura (Aloisius) Miller, natus Monaci die 18^o m. Maii a. 1884^o, anno 1903^o in Abbatiam Ottiliensem intravit, die 26^o m. Dec. a. 1907^o vota sua protulit et die 23^o m. Iul. a. 1908^o sacerdotio auctus est. Anno 1918^o monasterium reliquit et anno 1927^o in laicatum redactus est. [Investigatio F.ris Davidis Gantner OSB]. Postquam monasterium reliquit, Aloisius Miller ut artifex operatus est. Exempli gratiā fenestra rosarii in Monacensi ecclesiā cathedrali sita est unum ex eius operibus (*cfr* Pfarrbrief Münchner Dom, Herbst 2022, p. 22).

sed ut dux, qui homines in caelum adducit.⁸⁰ In picturā Archangelus sustinet monachum Benedictinum, ad quem homines afflicti veniunt, et omnes ad caelum trahit.⁸¹ Monachus autem hic depictus magnam similitudinem Abbatis Norberti praebere dicitur.⁸² Perficiebatur vero cappella Archangeli Michaelis denique anno 1919^o, cum parietes depingebantur atque fenestra angelorum sic dicta in murum imposita est.⁸³ Haec fenestra composita est a Georgio Kölnsperger⁸⁴ et eādem tribus gradibus monstrantur supra quattuor angeli, qui Dei laudes praedicant, in medio quattuor angeli, qui ecclesiam defendunt,⁸⁵ et infra quattuor angeli, qui infantes ex variis partibus orbis terrarum exoriundos curant atque tuentur.⁸⁶

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 232, 2023, pp. 167-190]

80 Itaque imaginis margo satis opulenta coronatur inscriptione Theodiscā hac: MICHAEL / DEM ERZENGEL / GOTT GAB IHN DEN GERECHTEN / ZUM / GELEIT IN DAS / PARADIES. Quod significat Deum iustis Michaelē dedisse comitem in paradisum.

81 Descriptio fusa huius retabuli invenitur in typoscripto unius paginae, quod inter Annalium paginas 200 et 201 insertum est.

82 Ex Chron. Ottil, m. Apr. a. 1914 apparet picturam videlicet omnibus placuisse. Tamen Ann. Ottil. 3, 25.4.1914, S. 198 (ASO, A.3.4.3) legitur: «*Exsecutio est bona, etiamsi gustūs hac in re sunt diversi.*»

83 De fenestra angelorum *cfr* Chron. Ottil., m. Iun. a. 1919; Ann. Ottil. 3, 16.6.1919, p. 462 (ASO, A.3.4.3); Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), IKap6, p. 2 (ASO, A.14.4.1.11); Heide WEISSHAAR-KIEHM: Klosterkirche. In: Claudius BALS / Walter SEDLMEIER (edd.) (1994), p. 51; Heide WEISSHAAR-KIEHM (2009), p. 20.

84 In compositionem recepta sunt impulsūs quidam Norberti Weber.

85 Putantur verisimiliter esse quattuor ex archangelis.

86 Haec fenestra quoad qualitatem suam diversimode diiudicatur. Chron. Ottil., m. Iun. a. 1919 legitur eam esse «*ecclesiae ornamentum dignum, insimul cogitationum profundarum plenum, pium artificiosumque.*» Sed Heide WEISSHAAR-KIEHM: Inventar (1995-1998), IKap6, p. 2 (ASO, A.14.4.1.11) rem potius critice diiudicat et existimat hanc fenestram, quod attinet ad qualitatem, longe differre a fenestris cappellarum Sancti Benedicti atque Sanctae Ottiliae (quas quōque Georgius Kölnsperger composuerat).